





G. 39. num. 7.  
JOH. ULRICI CRAMERI,

J. U. & PHIL. D. AC IN ACADEMIA MAR-  
BURGENSI PROFESSORIS JURIS  
ORDINARII,

H. 2. 22.

17

1734, 1.

PROGRAMMA  
ID QUOD JUSTUM EST,  
CIRCA

VOTORUM  
DISPARITATEM

EX  
PARI SUFFRAGANTUM JURE  
DEFINIENS,

QUO

LECTIONES PRIVATAS

AD

INSTITUTIONES  
INTIMAT.



MARBURGI CATTORUM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

HON. HURIGI GRAMM.

L. V. 1691. D. 1. M. ACAD. M. MAR  
HURIGI PROFESSORIS DEP.  
ORDINANDI

PROGRAMMA

ID EUND IUSTITIA ET

CONTRA

ИЧЯОТ СУ  
МЕЛАТИЯВА

МАР. СУТЕРАГИИ МИЛЛЕРИ  
ДЕННИСИ

60

TRAGOMAS PRACTICA

CA


ИНГИТИОВС

RAMAT

МАР. СУТЕРАГИИ МИЛЛЕРИ  
ДЕННИСИ

МАР. СУТЕРАГИИ МИЛЛЕРИ  
ДЕННИСИ

МАР. СУТЕРАГИИ МИЛЛЕРИ  
ДЕННИСИ



Oto notius est, si in Collegio duæ fuerint sententiæ dispersæ, plurima vota concludere. Quid fieri debeat si duæ fuerint diversæ sententiæ numero pares, nuper exposui cum de Calculo Minervæ sensa mentis explicabam. Enimvero si contingat tres vel plures diversæ esse sententias, quænam prævalere debeat, ardua & difficilis quæstio semper habita. Vixum est Veteribus, sententias quasdam fieri possit conjungendas esse, ut votorum nascatur pluralitas: quodsi vero fuerint singulares, ut conjunctioni locus non sit, rem de qua deliberatur spectandam esse tanquam dubiam, adeoque ex legibus probabilitatis, quas in dubio sequi tenemur, definiendam. Nova igitur emergit quæstio, quandonam sententiæ diversæ conjungi queant, ut inde nascatur quasi una. Et censuere Veteres, sententia vni jungi posse alteram, si una alteram contineat. Quandonam vero una contineat alteram, de eo non idem sensere omnes. Qui-dam existimarunt, si diversitas sententiarum reducatur ad quantitatatem, quantitas minor cum contineatur sub majori; sententiam eorum, qui in quantitatatem minorem consen-tiunt, sub sententiis cæterorum contineri, quibus major pla-cuit quantitas, ut adeo in minorem omnes consensisse vi-

A 2

deantur

deantur; atque sic sententia quantitatem minorem urgens prævaleat. Et ita sentit JULIANUS teste UPLIANO (a). Etenim, si ex tribus inquit, arbitris unus quindecim, alias decem, tertius quinque condemnent, quinque debent prestatari: quia in hanc summam omnes consenserunt. JULIANUS itaque arbitratur, in quinque consensisse omnes, quia quinque continentur sub decem & quindecim; adeoque conjungit sententias quantitate differentes, quia una sententia continetur sub cæteris. Quodsi conjunctionem ad hunc casum restringis, nonnisi rarissime eidem erit locus. Unde alii eandem extensuri ad alios quoque casus, eosque plures saepiusque obvios, expendi jubent, quænam sententia sub eodem genere contineantur, licet specie differant: cum enim species diversæ sub eodem genere contineantur; recte eas conjungi quæ genere eædem sunt, ut nascatur pluralitas votorum, putant. Quod ut intelligas, in facto tibi repræsenta. Occurrit tale apud PLINIUM (b), ubi alii judices reum absolvebant, alii in peñam capitisi, adhuc alii in relegationem condemnabant. Qui reum in peñam capitisi & qui in relegationem condemnabant, in eo consentiebant, illum puniendum; adeoque non absolvendum esse, quemadmodum vult sententia prima: sententia igitur relegantium cum sententia capite plectentium conjungenda, quatenus genere eædem seu ad eandem reducuntur; atque adeo præalent adversus absolvendum sententiam. Quodsi jam porro queratur, quænam poena sit irroganda, considerandum est, sententias porro ad duo quasi genera reduci posse, quatenus alia est mitior, alia gravior. Quæ igitur mitiores sunt veluti sententia absolvendum & sententia relegantium, denuo sub eodem genere contentæ spectantur, atque

(a) 1, 27. §. 3. ff. de Rec. Arbit.

(b) L, VIII, Epist. XIV.

que hac nomine conjungenda adversus duriorem, quo casu sententia relegendum prævalet adversus sententiam capite plectentium, propterea quod absolventes, ubi in poenam consentire debent ( id quod ob pluralitatem punientium facere tenentur , cum plures paucioribus cedere nequeant, sed ex adverso pauciores cedere teneantur pluribus ) potius in minorem quam in majorem consensuri sunt. Unde PLINIUS auctor est, et si ipse metu putaverit sententiam mitigationem prævalere , adeoque reum absolvii debere, visum tam fuisse , quod potius relegendus sit. Atque hanc votorum conjunctionem NERIUS (c) adeo acriter defendit, ut ultra confiteatur, bilem sibi movisse argumentum PLINII, quo duas illas sententias , quarum una condemnat in relegationem, altera in capitibs poenam coire posse negat. Quantacunque vero evidenter ista votorum conjunctio niti videatur NERIO , hoc tamen non obstante eam a PLINIO recte rejectam pronunciat Vir summus GROTIUS (d), diceret enim: *qui morte, inquit, reum puniunt, & qui relegant non conjungentur, quia diversa hac sunt. & in morte non est relegatio, nec absolventes cum relegendibus conjungentur, quia eti non interficiendum reum consentiunt, id tamen non est illud ipsum quod dicit sententia, sed per consequentiam inde elicitor: at qui relegat, reum absolvit.* Quare recte Plinius, cum tale quid in senatu eveniret, tantam dixit sententiārum esse diversitatem, ut non possent esse nisi singulae; & parvulum referre, an idem displiceret, quibus non idem placuerit. Luce igitur meridiana clarius est, GROTIUM vota dividi jubere eo in casu, in quo non nisi generalis quidam consensus per consequentiam elici potest, qui per se senten-

(c) in Analect. c. 30. L. I. in Cel. Ottonis Thes. Jur. Rom. T. II. p. 364.

(d) de J. Bel. &amp; Pacis, II. V, 19.

tiis ipsis non inest. Ac proinde non admittit sententiarum conjunctionem, nisi quando una alteram tanquam partem re ipsa continet, veluti quando major summa continet minorum tanquam partem. Unde eodem in loco conjungit condemnantes in 15. & condemnantes in 10. adversus absolventes, quia condemnantes in 15. & 10, convenient rejecta differentia. Sic vero juxta hanc doctrinam condemnantes in 15. & alii in 10. aliquie in 5. etiam conjungendi videntur, quia 5. tam sub 10. quam sub 15. continetur, quemadmodum visum est JULIANO affirmanti in 5. consentire omnes. GROTIUS tamen in FLORIBUS SPARSIS (*e*) aliter statuit: cum sententiam medium in 10. condamnantium adversus duas extremas prævalere debere pronunciet, addita hac ratione, quod major pars consentiat in 10. rejecto eo, in quo discrepant. SCHILTERO (*f*) ideo GROTIUS sui oblitus videtur, utpote qui pro certo habet, quod in FLORIBUS SPARSIS statuitur, repugnare ei quod docuerat Vir egregius in opere de JURE BELLI & PACIS. Eodem enim jure quo in hoc opere condemnantes in 15 & 10 consentire dicuntur in 10, condemnantes quoque in 15, 10, & 5. dicendos esse consentire in 5. Contra BEYERUS, GROTIUM a contradictione absolvit (*g*); propterea quod non idem sit casus in Opere de JURE BELLI & PACIS ac in FLORIBUS SPARSIS. Etenim in Opere illo dux sententia condamnantes conjunguntur adversus absolventer in eo, in quo convenient, ut adeo reus in 10. condemnatus esse dicatur. At in FLORIBUS SPARSIS tres sunt sententia condamnantes & dux, quæ propius ad seinvicem accedunt, conjunguntur adversus eam, quæ longius ab una recedit. Existimat enim Vir consultissimus, qui in majo-

(*e*) p. m. 132.(*f*) in Exercit. ad ff. XII. §. 20.(*g*) in Posit. ad Pand. l. IV. T. VIII. §. 19.

maiores condemnat, in medium magis inclinaturum quam in minimam, seu generatim loquendo dissentientem, si sententiam mutare cogatur, eidem potius accessurum, quæ ipsi propior est, quam alteri, quæ ab eadem longius recedit. Quodsi vero jam sententiæ propiores nempe condemnantes in 15. & 10. conjunguntur, habemus jam partem majorem in 10. consentientem, quæ utique ex opinione ipsius prævalere debet aduersus sententiam minimam in 5. condemnantem. Enimvero hoc pacto dubio SCHILTERI nondum satisfactum videtur. Sumamus enim cum BEYERO sententiam cum alia propiori, quam tanquam partem continet, conjungendam esse aduersus eam, quæ longius ab eadem recedit. Ecquis non videt, condemnantium in 5. tanquam partem contineri sub sententia in 10. condemnante; adeoque has sententias posse eodem modo conjungi aduersus sententiam condemnantem in 15. a qua sententia minima longius recedit, quo maxima & media conjunguntur, quarum illa a minima longissimo intervallo distat. Reddenda igitur erat ratio, cur potius 10. vi conjunctionis maximæ & media sententiæ aduersus sententiam minimam, quam 5. vi conjunctionis minima & media aduersus maximam prævalere debeat. Quod sane dubium etsi non sine ratione urgeatur, BEYERUS non sustulit. Præterea quæ de conjunctione votorum hoc nomine facienda præcipiuntur, quod sententia una alteram sub se contineat tanquam partem, ingeniose magis conficta, quam veritati consentanea sunt, & si rem penitus inspicias in hac conjunctione supponitur, quod supponi non posse facile a nobis probabitur. Etenim sententiæ diversæ, quamdiu unusquisque in sua sententia firmiter persistit, quemadmodum hic supponitur, semper spectandæ sunt tanquam singulares, ut adeo non nisi invitis illis, qui easdem ferunt, conjungantur. Sane qui

qui in 15. condemnat dici nequit reum condemnare in 10. quando alter eundem in 10. condemnat, quamdiu in sententia sua persistit: nec minus singulares sententiae sunt condemnantium in 15. & 10. aureos, quam relegendium & multantum. Quamdiu itaque intentioni illorum qui dicunt sententiam contrariari nolueris, conjunctioni non erit locus. Perspexit hoc jam GROENE WEGEN (b), atque ideo conjunctionem sententiarum intentioni eas ferentium contrariam tanquam absurdam impugnat. Et quamvis VOETIUS (i) candem contra ipsum defendere voluerit, valde tamen vereor, ne nullius fint ponderis quæ profert. Existimat enim, nisi concedatur condemnantem in 15. aureos etiam condemnare voluisse in 5, hoc statuendum esse absurdum, quod reum a præstatione 15. aureorum absolve-re voluerit, propterea quod sententia non nisi condemnatione vel absolutione finem liti imponat. Ecquis non videt, nullam prorsus dictis inesse consequentiam. Confundit nimirum quæ a seinvicem prorsus differunt: cum pro uno eodemque habeat, reum absolvere & non condemnare in certam aliquam poenam. Qui dicit reum non esse condemnandum in poenam minorem sed potius in majorem, non ideo dicit eum a poena minore esse absolvendum, & quando sententia vel absolvendo vel condemnando liti finem imponit, condemnatio & absolutio simpliciter sibi mutuo opponuntur; consequenter principium hoc nulla prorsus specie hoc trahitur. Quæ porro assert ad præsens negotium prorsus non quadrant, ubi quæritur, an votorum conjunc-tione pluralitas obtineatur, non vero quid in casu dubio, aut ubi per pluralitatem votorum negotium exitum sortiri nequit, fieri debeat, ut exitum sortiatur. Quamobrem nec

(b) de Legib. Abrog. L. IV. T. VIII. p. 93. seq.

(i) in Comment. ad Pand. T. I. L. IV. T. VIII. §. 19.

nec e re esse arbitror, ut iis speciatim commemorandis im-  
moror. Probandum igitur potius est, in votorum conjunc-  
tione supponi, quod supponi nequit. Quoniam nimi-  
rum quamdiu diversis sententiis statur negotium exitum ha-  
bere nequit, ipsa necessitas exigere putatur, ut quidam dis-  
sentientium sententiam suam deserant & alteri accedant,  
quo sic obtineantur majora. Sed vi compellendus  
ad sententiam aliam ei potius accedet, quam sua proprie-  
rem deprehendit, quam remotiori; idcirco quoque ex hac  
præsumptione conjungenda videntur sententiae propiores.  
Ecquis vero non videt, nondum hic definiri quinam com-  
pelli debeat, ut alteri cuidam sententiae relicta sua accedat:  
cum enim singulorum paria sint jura, quoque unus vult  
alterum a sententia sua discedere & alii sele jungere, eodem  
jure alter quoque exigit, ut ipse sententiam suam deserens  
ad aliam accedat, siveque hæc præsumptio proflus inutilis est,  
nec ea quicquam agitur. Taceo, si hac præsumptione sit  
standum, in omni casu proprius ad seinvicem accedentes  
conjungi posse, veluti ad mortem damnantes & relegan-  
tes contra multantes. Difficultates hæce, quibus voto-  
rum conjunctio laborat, perpendentes de pluralitate voto-  
rum per conjunctionem eruenda proflus desperarunt; atque  
hinc ad principia confugerunt, quibus in causis dubiis uti-  
mur, ut negotia exitum habeant. Hæc vero principia di-  
versa sunt pro diversitate causarum, in quibus dissentient  
suffragantes. Ita ANTON. CORSETUS SICULUS,  
(k) & Petr. Gerard. de PETRA SANCTA (?), in eo  
casu, quo diversæ sententiae in quantitate fuerunt latæ, o-  
mnes quantitates in unam summam colligi, hancque per  
numerum sententiarum dividi jubent, ut obtineatur quan-  
titas, in qua probabiliter omnes convenire videntur. Po-  
namus ergo cum PETRASANCTA ex tribus æstimatori-  
bus

B

(k) in Tr. Singular. Doct. T. I. p. 586, Sent. XVII.

(? ) in cit. Tr. p. 503. XXV.

bus assuntis unum aestimare in 20. alium in 30. alium in 35. Quod si jam has quantitates aggrees; & sumمام 85. per 3. dividat, quotus  $28\frac{1}{3}$  habetur pro pretio, in quo consentire omnes videntur. Regula hæc prorsus eadem est, quam pro aestimando pretio in Emtione Spei ex ipsa notione Justitia commutativa erui, quamve convenire cum regula Hugeniana aestimandi sortem in ludo aleæ, quam hodie Mathematici in casibus similibus utuntur, in Specimine peculiari ostendi. Non tamen probabile est, laudatos modo J Ctos ad illam estimationem via demonstrationis pervenisse: quin credendum potius, eos imitatos fuissim Mathematicos, praesertim Astronomos, in casu dubio medium arithmeticum querentes, addendo in unam summam duo extrema, seu maximam & minimam quantitatem eamque per 2. numerum nempe quantitatuum in unam summam collectarum dividendo. Quoniam vero regula ista determinandi estimationem probabilem in casu dubio demonstratione nititur, quemadmodum in Specimine allegato luculenter evici; in casu estimationis dubia, ubi non spectatur votorum pluralitas, recte omnino adhibetur, ne dissensus estimatorum exitum negotii impedit, ut adeo CORSETUS regulam istam notandam haud immerito inculcat, quod singularis. Non commemoramus alia principia ad quæ confugerunt alii, ut in dubio negotium expedirent, quod votorum pluralitate exitum habere non poterat. Dabitur enim paulopost occasio de his quædam differendi, ubi quid mihi videatur, exposuero. Sepositis igitur omnibus Doctorum opinionibus, quibus questionem propositam magis intricarunt quam extricarunt, analysis ejus aggredior. Quaritur itaque num in casu disparium sententiarum, salvo pari suffragantium jure, per votorum pluralitatem negotium expediti possit? Neminem latet, quando majora concludere debent, non modo spectandum esse plurimum in idem consensum; verum etiam pau-

paucissimorum dissensum, ut ea sententia prævaleat, quæ  
 pauciores adversus se experit. Quamobrem ubi defi-  
 niendum quænam sententia vincat, numeranda non mo-  
 do sunt vota, quæ pro ea feruntur, verum etiam ea,  
 quæ contra eam sunt, quotunque tandem fuerint diver-  
 se sententiae. Nemo enim non concedet quamdiu pa-  
 ria suffragantium jura admittit, eam esse debere potio-  
 rem, cui pauciores adversantur. Regula hæc eadem ratione  
 nititur, qua votorum pluralitas in casu duarum diversarum  
 sententiarum, nimis aquo suffragantium jure, & in  
 ipso hoc duarum sententiarum diversarum casu locum quo-  
 que habet. Etenim quis nescit, si duæ sunt sententiae di-  
 versæ, ab ea cui plures accedunt, pauciores discedere, ut  
 adeo perinde sit, sive eam sententiam valere dicas, quæ plu-  
 ribus probatur; sive eam, quæ paucioribus displicet. Si  
 ergo illam sententiam præferendam esse existimas quæ pau-  
 cioribus displicet, quod aquo suffragantium jurenon mi-  
 nus nititur, quam regula vulgata de præferenda sententia,  
 quæ pluribus probatur; per numerum votorum negotium  
 non minus exitum habere potest in casu plurium, quam  
 in casu duarum diversarum sententiarum, nisi in casu prio-  
 re ad paritatem votorum perveniat: id quod non majo-  
 rem hic difficultatem facessit, quam ubi duæ sententiae pa-  
 ribus votis nituntur. Enimvero novus hic vota numeran-  
 di modus veritati quemadmodum appetit consentaneus,  
 exemplis illustrari debet, ut non modo rectius intelligatur,  
 verum etiam, ut pateat, quæ possit. Satius vero duco ad ex-  
 empla Veterum, quibuscum omne negotium est Doctoribus,  
 quando hoc tractant argumentum, regulam applicari, quam  
 ad alia. In casu GELLII duo judices reum censuerunt  
 exilio multandum, duo pecunia, tres capite puniendum.  
 Pro exilio sunt vota duo, contra idem quinque. Pro pe-  
 cunia itidem duo & contra denuo quinque. Pro suppicio  
 denique tria, adversus idem nonnisi quatuor; sententia igi-  
 tur

tur quæ reum suppicio vult affici, vota plurima pro se, pauciora vero contra se habet; consequenter prævalere debet, quamdiu votorum numero standum, quod hic fieri debe-re supponitur: cum neuter alteri cedere velit, sed unusquisque juris paritate se tueatur. Atque ita quoque visum est GELLIO, et si rationem non penitus assecutus videatur, utpote animum tantummodo advertens ad numerum votorum, quæ sunt pro una sententia, non vero simulad ea, quæ contra se habet. Affinis casui Gelliano est ille apud QUINTILIANUM (*m*), quo tres judices mortem, duo infamiam, & duo exilium irrogant. Etenim hic quoque mortem volunt vota tria adversantibus quatuor; infamiam vero nonnisi duo, & exilium itidem tantummodo duo, ad-versantibus sententia unicuique votis 5. Quoniam itaque poena capitalis vota plurima pro se, pauciora vero contra se habet, ea irroganda venit. Et ita quoque sentit QUINTILIANUS. Apparet adeo modum computandi pluralitatem votorum, sicubi plures fuerint sententia diversæ, quem adhibendum esse contendo, GELLIO & QUINTILIANO non aduersari. Adde, quod eidem ubique locus sit, de quacunque tandem re deliberatio instituatur: id quod de regulis illorum dici nequit, qui votis conjungen-dis student ad pluralitatem consequendam. Ponamus enim in Collegio aliquo novem esse Electores, quorum 4. Titium, 3. Mevium, 2. Sempronium eligunt. Electioni Titii favent vota 4 adversantur 5. Favent Electioni Mevii tria, contrariantur 6. Tandem Electioni Semproni nonnisi 2 favent sed 7 contrariantur. Sententia igitur, qua Titius eligitur, plurima vota faventia, paucissima adversa experitur; adeoque adversus cæteras prævalet. Atque ita negotium exitum habet, et si votorum numeratione expediri jubeatur, quod nullum habere potest, si votorum conjunc-tione

(*m*) Decl. 365.

ctione pluralitatem extundere volueris. Convenit cum hoc  
casu is, qui a MARC. FREHERO<sup>(n)</sup> proponitur ad ca-  
sum PLINII illustrandum. Supponit enim in Campo  
Martio, tres Titio Candidato, duos Mevio, duos item  
Sempronio honorem tribuere. Et extra omnem dubitatio-  
nis aleam positum esse existimat, honorem tribuendum es-  
se Titio. Id quod proorsus ad mentem meam. Quamob-  
rem cum FREHERUS casum quem singit similem judicat  
illi apud QUINTILIANUM, quem paulo ante regula con-  
sentientem vidimus; modum numerandi vota, quem præ-  
scripsi, ipsi suboluisse haud obscurum indicium est. Agedum  
vero expendamus, quid prodeat in casu JULIANI, si sen-  
tentia victrix hoc pacto determinanda. Cum unus con-  
demnet in 15, unus in 10, & unus in 5, unaquaque senten-  
tia uno stipatur voto adversantibus duobus, adeoque nul-  
la adversus ceteras prævalet, consequenter res deducitur ad  
casum paritatis votorum. Quæ hic observanda sint, nu-  
per docui, cum de Calculo Minervæ dicerem sententiam.  
Nimurum cum nihil agendo negotium præsens exitum ha-  
bere nequeat, Calculo Minervæ locus non est. Dubium  
ergo videtur, quænam sententia vincere debeat. Cum hic  
agatur de condemnando reo, in casu dubio sententia mi-  
tior præferri debet durioribus. Condemnandus igitur est  
reus in aureos 5, quemadmodum vult JULIANUS. Atque  
ita casus JULIANI eodem modo deciditur per ea quæ a me  
præcipiuntur, quo ipsem JULIANUS eundem decidit, et si  
diversa via incedamus. Quando autem secundum modum de-  
terminandi per numerum votorum sententiam victricem ad  
paritatem devenirit, tum demum cum per vota exitus nego-  
tio esse nequeat, deveniendum est ad rationes extrinsecas, quæ  
pro diversitate objecti deliberationis diverse esse possunt, ac  
debent, veluti in casu condemnationis rei regula vulgata,

B 3

qua

(n) in Dec. Arcopagi, c. VII.

qua modo usus fui, sententiam mitiorem in dubio præferendam esse du-  
tiori, quam AUSONIUS(<sup>o</sup>) his enunciat verbis:

ego mitis & osor  
Sanguinis humani, condonem criminis nummis.

Proinde ut mea fert opinio, diversi illi modi, quibus Doctores<sup>1</sup> passim  
sententiam determinare student, qua inter plures dispare standum, tum  
demum necessarii existimandi sunt, ubi per paritatem ad incertitudinem  
deducitur sententia præferenda. Ita jam vidimus in casu JULIANI, ubi  
numerando vota negotium expediri non poterat, recurrentum nobis es-  
se ad principium, quod in casu dubio pars mitior sit sequenda. Hoc au-  
tem principio etiam in casu PLINII ad explicandam votorum con-  
junctionem urit Cel. OTTO (<sup>p</sup>), existimans, si solo suffi-  
fragiorum numero steratur, ea exitum non sequi, quem tamen intendere  
recte præsumi suffragantes. Sed cum vota numerentur non ponde-  
rentur, istiusmodi remedii opus non est, ubi vota numerando nego-  
tium expedire licet: id quod in praesenti cau fieri posse, modo notes, ad  
quidnam in numerando attendendum sit, ex anterioribus luculenter con-  
stat. Similiter negotium eo in cau in quo votorum numero non expeditur  
exitum fortitur, si necessitas injungatur aliiis quibusdam, in aliorum par-  
tes eundi. Enimvero ne, cum paria sint suffragantium Jura, denuo oriatur  
discrepatio; quis in alterius partem abire debeat, definiendum est. U-  
num quo id fieri possit modum, eumque usu receptum PETRUS AERO-  
DIUS refert(<sup>q</sup>). Apud nos, inquit, necesse est in duas convenire. Ut istud  
fiat: *duae majores separantur: tunc in eorum alteram transire oportet,*  
*qui alia sentiantur.* Atat modus hic ad modum restringens est, quoniam sup-  
ponit duas adesse sententias majores, cum tamen saepius una tantummodo  
sit major, veluti si tres supplicio condemnant, duo relevant & duo  
absolvunt. Ulterius ad rem meam nil pro�us consert, utpote, qui ad ex-  
terna auxilia non configio, nisi ubi sententiae dispare pari suffragiorum  
numero stipantur. Usui autem esse potest modus alter, quo olim uteban-  
tur Romani in divisione votorum. Auctore enim ASCANIO in Milonia-  
nam, sententia dividebatur in Senatu, quando quis eadem plura complexus,  
qua omnia non probabantur, jubeatur ab altero apertius dicere quid-  
nam eorum velit, ut nempe hic sciret in quo illum sequi possit. Unde SE-  
NECA (<sup>r</sup>) *quod fieri*, inquit, *in Senatu solet faciendum in*  
*Philosophia quoque existimo.* Cum censuit aliquis quod ex parte mihi  
place-

(o) Epist. 14. (p) in Praefat. Th. Jur. Rom, T. II. præfix. p. 21.

(q) in Pand. Rer. Jud. I. V. c. VII. p. 279.

(r) Epist. 21.

placeat, jubeo illum dividere sententiam & sequor. Ipsa autem hujus divisionis natura loquitur, quandonam sit usui, nimisrum quando una sententia res plures sub se complectitur, veluti in exemplo apud CICERO-NEM, ubi interprete JOH. MARIA CATANÆO (s), BIBULUS censembat, Regem PTOLOMÆUM reducendum per tres legatos, cumque legati esse poterant vel privati vel Imperatores, postulabatur, ut sententia ejus dividetur, hoc est ut aperte diceret, an eligendos censeret, qui sunt sine Imperio, an vero qui sunt cum Imperio: vel ex interpretatione BRISSONII (t), BIBULLI sententia, secundum quam Sybilliniis libris conformiter POMPEJUS sine exercitu reduceretur, attamen per tres legatos, duas res complectebatur, & ob id divisa fuit: ut constaret in quamnam reliqui irent. Perperam vero HUBERUS (u) in eo casu quo sententiae discrepant, vincentem ex eo definire vult, quod quis presumatur sententia sibi proprii potius accedere velle, quam remotiori, ubi necessitas eum a sententia sua recedere & in aliam ire jubet, quo negotium exitum habeat. Hæc enim presumptio hypothesi questionis presentis quam tractamus repugnat. Nam quæritur quid fieri debeat, ubi unusquisque in sententia sua firmiter persistit, & cum paria sint suffragantium jura, necessitas, quæ aliquos a sententia sua discedere, & alteri accedere jubet, ut vota exitus sequatur, non definit, quinam compelli possit, ut alteri sententia accedat. Satis manifeste hoc perspicitur in casu GELLII, quem istiusmodi presumptione expedire satagit. Vult enim sententiam relegantium aduersus occidentes & multantes prævalere, quia probabile damnantes in pecuniam, malle, si hoc obtinere nequeunt, exilium rei, quam capitale supplicium. At cur multantes potius a sententia sua discedere & alterutri cæterarum accedere debent, quam relegantes aut occidentes? Nullam sane rationem admittit par quo suffragantes fruuntur jus, nisi forsitan requisiveris, ut qui sunt numero pauciores accedant sententiae cuidam majori: sed tum incidis in modum ab AERODIO relatum, de quo jam ante differui. Quæ nuper de Calculo Minervæ casibusque agnatis sub eo tamen comprehensis & in praesenti de determinanda sententia vincente inter plures dispare dicta sunt, ad steriles theorias, quæ nullum in praxi usum agnoscent referenda non sunt. Etsi enim videri possit in controversiis, in quibus alter alteri cedere non vult, ad principem, vel Collegium aliquod Juridicum recurriri, atque adeo hoc pacto suffragantium discordiam dirimi posse quemadmodum & ZIEGLERUS (x) sentit, ubi pactio lex aut consuetu-

(s) in Comment. ad Plinii L. VII. Epist. XIV.

(t) de Formul. L. II. 59. p. m. 168.

(u) de Jure Civit. L. 3. Sæc. 2. c. 6. n. 5.

(x) Dicast. Concl. 42. §. 22.

suetudo aliud non praecipiat, hoc tamen non semper succedere, atterioribus pater. Etenim in Civitatibus Liberis Senatores non habent Superiorē, ad quem in hoc casu recurrere possent; adeoque penes ipsas eadem adhuc quoad iura suffragantium valent, quæ olim apud Romanos & Græcos in senatu recepta erant. Præterea in Collegiis militaribus, cum poena militares paratissimæ sint executionis, quæ capitales non sunt, ad superiorē recurrere non licet: votorum vero disparitas in dictardis penitentiis non infrequens esse solet. Memento itaque si quedam negotia Collegio cuidam a Principe ita decidenda permittantur, ut quicquid ipsis vatum fuerit, a Principe ratum habeatur; & quæ nuper, & quæ nunc proposui usi esse. Immo non desunt casus, in quibus nec consilium est discordiam suffragantium ad Principem deferrī, nec tempus permettit, ut a Collegio aliquo Juridico decisio petatur, immo res ipsa talēm decisionem proflus respicit, veluti cum de eligendo Pastore agitur. In his igitur maxime prodest nosse, quomodo vota paria & disparia aut diversa plura exitus sequatur. Non jam urgeo, quod in istiusmodi casu, ubi nullum id jubet statutum, discordia ad Principem vel Collegium juridicum, quod hic arbitrii compromissarii loco est, deferri nequeat, nisi unanimi Collegii consensu, cum tralatitudinē sit, ne plurima quidem vota concludere, ubi de Jure singulorum agitur. Pro certo igitur habeo, me non inanem operam sumisse, quod Theoriam de Jure suffragandi a difficultatibus, quibus hac in parte haec tenus involuta fuit, liberaverim: & ad evidētiā, quæ obfūca videbantur acutioribus revocaverm. Quemadmodum vero hic magis ex re ipsa, quam ex opinionibus Doctorum sapere volui, ut quantum veritati accedant, quantum ab eadem recedant, evidenter elucescat, & ipsa veritatis evidētiā dissensus tollatur; ita quoque eundem morem, quem admodum hucusque in Lectionibus tam publicis quam privatis, in posterum observatus sum, quotiescumque apud Doctores controversa decidenda erunt. Constitutum est mihi per aëstatem Themidis sacrī initiandis explicare totius legitimæ Scientiæ prima Elementa, quæ in Institutionib⁹ continentur. Dabo operam, ut nihil desiderare possim, quoad perspicuitatem, si verba spectent; quoad evidētiā si res. Quamobrem quoiquot labore nostro se juvari posse confidunt, eos ad Lectiones hasce privatas die 7. Junii inchoandas invitatos volo. Dabam Magburgi Cattorum, die XXX. Maii, A. M DCC XXXIV.

Marburg, Drss., 1731-35

ULB Halle  
005 359 929

3





# Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

G. 39. num. 7.

16

3.1.22.

17

1734, 1.

JOH. ULRICI CRAMERI,  
J. U. & PHIL. D. AC IN ACADEMIA MAR-  
BURGENSI PROFESSORIS JURIS  
ORDINARII,

PROGRAMMA  
ID QUOD JUSTUM EST,  
CIRCA

VOTORUM  
DISPARITATEM

EX  
PARI SUFFRAGANTUM JURE  
DEFINIENS,

QUO  
LECTIONES PRIVATAS

AD  
INSTITUTIONES  
INTIMAT.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALIE

MARBURGI CATTORUM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.